

¶ Qui iudices vel rectores sic electi sint et esse debeant de etate treginta annorum et ultra, et si quis dictum offitium acceptaverit non ente eiusdem etatis, quod illa talis electio et confirmatio sit cassa et nullius valoris, et potestas qui pro tempore fuerit teneatur et debeat inquirere et temptare predicta, sub pena sacramenti, et ipsum talem sic electum sive confirmatum non habentem etatem predictam acassare et anichilare debeat. ¶ Et quod in dicta electione cancelarii non debeant nominare vel propalare illi qui habueri(n)t brevem aliquem electum nec facere eligi aliquem nec idem loqui, salvo quod, si quis ex habentibus brevem eligeret aliquem qui iam per alterum electorem esset electus, tunc cancellarii possint declarare eidem electori // quod eligat alterum, cum ille quem elegit sit iam electus. ¶ Et si quis electus non possit admitti ex gradu propinquitatis vel quocunque alio modo ad aliquod offitium, tam in offitio iudicatus quam in aliquo alio offitio, tunc ille qui habuerit brevem electi non valentis esse eligat alium, scilicet antequam ille talis electus fuerit balotatus; si vero electus fuerit balotatus et esse non poterit in offitio ad quod fuerit electus, tunc dentur duo breves in maiori consilio et habentes ipsas duas breves eligant singuli suum, et ipsi duo electi balotentur ad piscides et balotas unus contra alium in maiori consilio et optinens in dicto consilio sit firmus in dicto offitio. ¶ Et quod nullus possit eligi iudex¹⁾ vel rector nec admitti, nisi ille electus fuerit de maiori consilio civitatis Tergesti. ¶ Et non possit eligi iudex sive rector aliquis qui esset daciarius becarie tabernarie vel salis, et si reperiretur ipsum daciarum fuisse iudicem infra unum annum post eius exitum, cadat ad penam lib. quinquaginta par. sine remissione. ¶ Et durent ipsi iudices sive rectores sic electi et confirmati in dicto offitio per quatuor menses et habeant pro suo salario de camera comunis Tergesti sold. viginti gross. pro quolibet ipsorum, et habere debeant infra quindecim dies post quam intraverint in dicto offitio unum equum valoris sold. viginti gross. pro quolibet ipsorum, quem tenere debeant toto tempore sui

¹⁾ iudes.